



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt Missæ peculiare in diebus solennibus non fiant. liiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Item de aqua benedicenda. Cap. LIII.

Ex epist. Alexād. papa, fra trib. per Aegypt. missa. **A**quam enim sale conspersam populis benedicimus. Ut ea cuncti aspersi sanctificentur. Quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitæ aspersus populum sanctificabat, atque mundabat, quanto magis aqua quæ sale aspersa diuinisq; precibus sacrata et populum sanctificat atque mundat? Et si sale asperso per Helizeum propter sterilitatem aquæ sanata est, quanto magis diuinis precibus sacrata aqua sterilitatem rerum aufert hereticarum, & coinquinatos sanctificat & purgat, & cetera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit, & à phantasmatum versutiis hominem defendit?

*Vt missæ peculiare in diebus solennibus non fiant.**Caput LIIII.*

Ex dictis August. **E**T hoc attendendum est, ut missæ peculiare, quæ per dies solennes à sacerdotibus fiunt, non ita in publicis fiant, ut per eas populus à publicis Missarum solennibus quæ hora tertia canonicè fiunt, abstrahatur: quia pessimus usus est apud quosdam, in dominicis diebus, siue in quibuslibet festiuitatibus mox Missam celebrare, quam quis, & pro defunctis sit, eum audierit abscedat, & per totum diem à primo mane ebrietati & comestationi potius quàm Deo deseruiat. Admonendus est populus, ut ante publicum peccatumque officium ad cibum non accedat: sed omnes ad publicam sanctam matrem Ecclesiam Missarum solennia, & prædicationem auditori cõueniant: & ut sacerdotes Missam hora tertia celebrent, ut populus à publicis solennibus non abstrahatur. Sed sacerdotes qui in circuitu vrbs aut in eadem vrbe sunt, & populus, ut prædiximus, in vnum ad publicam Missarum celebrationem conueniant, exceptis domesticis sacris sceminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris monasterij contineri.

De ministerio presbyterorum, vel quid eis commissum sit. Cap. LV.

Ex dictis eiusdem. **V**os presbyteri veraciter nosse debetis, & semper meminisse, quia nos, quibus regendarum animarum cura commissa est, pro his qui nostra negligentia pereunt, rationem reddituri sumus: pro his verò quos verbis & exemplis lucrati fuerimus præmium æternæ vitæ percipiemus. Nobis enim à domino dictum est, Vos estis sal terræ. Quod